

N. 13.

A. D. 1269.

(31 agosto, Indiz. XII).

| | |
|----------------------|---|
| <i>Data di luogo</i> | Bari. |
| <i>Rogatorio</i> | Nicola Adam, notaio. |
| <i>Descrizione</i> | Gotica, 21 × 36. |
| <i>Contenuto</i> | Instrumento in cui è riportata una lettera di Carlo I d'Angiò ai Baiuli di Bari. Il Monastero fin dai tempi di Federico II era esente dal diritto di piazza che si esigeva in Bari sul maiale e sul castrato. Il re ordina da Trani che si continui a rispettare siffatto privilegio. |
| <i>Bibliografia</i> | Inedita. |

† (*Anno a nativitate*) domini nostri Iesu Christi Millesimo ducentesimo sexagesimo nono regnante domino nostro Karolo dei gratia Illustrissimo Rege Sicilie Ducatus Apulie principatus Capue Alme Urbis Senatore Andegavie Provincie et Folcharcherii Comite et Romani imperii in Tuscia vicario generali . . . mense Augusti, ultimo eiusdem, duodecime Indictionis. Nos Iohannes de Damiano. Goffridus, Caczielies. et Dominicus Iudicis Petri cives Trani consentientes in infrascriptis iudicem notarium et testes tamquam in nostros cum sciamus nos ex certa scientia eorum jurisdictionis fatemur in presentia dominorum Gullelmi de domino Bisone et Iohannes de Doctula regalium iudicum barensium et testium subscriptorum civium barensium ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum quod cum extiterimus Baiuli Bari toto presenti anno dicte duodecime Indictionis. infra eundem annum octavodecimo (die) mensis martii recepimus sacras regias licteras sigillatas. sigillo sacre Regie Maiestatis in cera rubea nobis trasmissas quarum contentia per omnia talis est: Karolus dei gratia Rex Sicilie ducatus Apulie et principatus Capue Alme Urbis Senator Antegavie Provincie et Folchalcherii comes. Baiulis Bari fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Ex parte religiosarum mulierum Abbatisse et conventus Monasterii Sancti Benedicti de Cupersano fuit expositum coram nobis quoniam licet predictum monasterium sententiam latam contra Baiulos Bari predecessores vestros de plateatico porco et ariete quibus dicti Baiuli annuatim dictum monasterium indebite impedebant in scriptis obtineat, et fuerit postmodum eadem sententia per quondam (Fre)dericum olim Romanorum imperatorem ante depositionem eius a Romano imperio confirmata prout in privilegio ipsius Imperatoris inde confecto plenius dicitur contineri use sint ipso privilegio usque ad nostra tempora pacifice et quiete. Nunc tamen vos predictas Abbatissam et moniales super huiusmodi plateatico porco et ariete vobis exhibendo contra tenore ipsius privilegii et earum consuetudinem in hac parte hactenus observatam, molestatis, indebite ac multipliciter perturbatis. Quare fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus si est ita et alia rationabilis causa non subest, predictas Abbatissam et conventum super huiusmodi plateatico ariete et porco contra tenorem

ipsius privilegii et antiquam earum consuetudinem observatam in talibus minime moleste-
 tis. Datum Trani vigesimo secundo novembris duodecime Indictionis Regni nostri anno
 30 quarto. Ad quarum litterarum exequutionem nos qui supra Baiuli volentes procedere tam
 sollicite quam devote, inspecto tenore predictae sententiae late contra predictos Baiulos Bari
 predecessores nostros de plateatico porco et ariete quibus dictum monasterium impede-
 bant, viso etiam et diligenter inspecto tenore privilegii quondam domini Frederici olim
 Romanorum imperatoris in quo predictae sententiae confirmatio facta per eundem dominum
 35 Fredericum ante depositionem suam a Romano imperio continetur constat etiam nobis
 per quam plures homines Bari fide dignos quos invenimus fuisse Baiulos Bari temporibus
 retrohactis per quos diligenter inquisivimus de predictis quod dictum monasterium usum
 est eodem privilegio pacifice et quiete usque ad haec felicia tempora domini nostri Regis
 Karoli et quod nullus baiulus ab eo tempore usque nunc predictum monasterium occa-
 40 sione plateatici porci et arietis molestavit predictam Abbatissam et conventum super
 huiusmodi plateatico ariete et porco contra tenorem ipsius privilegii et earum antiquam
 consuetudinem in hac parte hactenus observatam minime molestavimus; immo dictam
 Abbatissam et conventum per totum presentem quo dictam baiulationem in Baro exer-
 cuimus, permisimus libere et absque omni jure plateatici porci vel arietis in civitate
 45 Bari emere vel vendere pro earum libido (*sic*) utilitatis. Ad cuius rei futuram memoriam
 et predictorum monasterii Abbatisse et conventus ipsius petitionem atque cautelam pre-
 sens publicum instrumentum de predictis sibi fieri fecimus per manus Nicolai Ade publici
 Bari notarii, signo suo solito predictorum iudicum et subscriptorum testium subscriptio-
 nibus roboratum. Quod supra ego predictus Nicolaus Adam publicus Bari Notarius qui
 50 interfui et more solito signo signavi.

† Regalis qui supra Barensis Iudex Guilelmus.

† Iohannes Macciacoctus siri mauri filius.

Rogerus Thomasii filius.

Iohannes publicus Bari notarius.

55 † Iohannes de Doctula Regalis qui supra Barensium Iudex.

Ego Kuri Ioanacius Grimoaldi filius.

Stephanus filius Guilelmi de Amirato.

Silvester publicus Barensis Notarius.

Ego Iaconus filius siri Stefanizii.